



SUPREMO TRIBUNALE
DELLA
SEGNATURA APOSTOLICA

PALAZZO DELLA CANCELLERIA
00120 CITTÀ DEL VATICANO

Prot. n. 4461/19 SAT

Chirographo diei 8 maii 2019 Romanus Pontifex statuit ut Tribunal Appellationis apud Vicariatum Urbis supprimeretur et in eiusdem munus Rotae Romanae Tribunal succederet, quae supra decreta huic Supremo Signaturae Apostolicae Tribunali exsequenda committens, adeo ut integra ordinatio iustitiae ad rem pressius statueretur, spectata semper mente recentioris reformationis iuris processualis.

Quibus praehabitis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Attentis litteris ab Em.mo Vicario generali pro Romana dioecesi ac Moderatore Tribunalium apud Vicariatum Urbis sedem habentium ad hoc Supremum Tribunal die 17 maii 2019 datis;

Visis Litteris Apostolicis motu proprio datis *Sollicita cura*, quibus die 26 decembris 1987 Tribunal Appellationis apud Vicariatum Urbis constituebatur, necnon Constitutione Apostolica *Ecclesia in Urbe*, qua die 1 ianuarii 1998 Vicariatus Urbis nova ratione ordinabatur ac statuebatur Tribunal Appellationis causas cognoscere, quae in primo gradu sunt definitae «a Tribunali ordinario dioecesis Romanae; a Tribunali Primae Instantiae pro causis nullitatis matrimonii regionis Latii; a Tribunalibus regionalibus Campano ac Sardiniensi pro causis nullitatis matrimonii; a Tribunalibus dioecesanis dioecesium Latii; a Tribunali Ordinariatus Militaris pro Italia; a Tribunali Praelaturae personalis Sanctae Crucis et Operis Dei» (AAS 90 [1998] 192-193);

Viso decreto ab hoc Supremo Tribunali die 14 martii 2017 (prot. n. 4460/17 SAT) lato, quo Tribunal Appellationis apud Vicariatum Urbis designatum est forum appellationis Tribunalis Ecclesiastici Interdioecesani Vicariatus Urbis primae instantiae, nuper recogniti;

Viso pariter decreto diei 15 februarii 2017 (prot. n. 4457/17 SAT), quo Tribunal Appellationis apud Vicariatum Urbis designatum est forum appellationis Tribunalis dioecesanis Reatini;

Pro comperta habita nova ordinatione quoad forum appellationis ad causas definitas apud Tribunal tunc Regionale Campanum (cf. decretum diei 26 octobris 2017, prot. n. 4404/17 SAT) et Tribunal tunc Regionale Sardum (cf. decretum diei 19 iunii 2017, prot. n. 4295/17 SAT);

Firma manente declaratione die 13 martii 1997 (prot. n. 4420/97 SAT) foras data;

Cauto ne ex nova appellationum ordinatione praeiudicium ullum praecriptis ac menti recentioris reformationis iuris processualis quoad causas nullitatis matrimonii afferatur;

Prae oculis ad rem habito praescripto II, n. 6 Rescripti Summi Pontificis die 7 decembris 2015 dati circa novam legem efficiendam atque servandam de processu matrimoniali (AAS 108 [2016] 6), de quo etiam in litteris Secretariae Status die 18 februarii 2017 datis (prot. n. 341.735);

Audito Rev.mo Promotore Iustitiae;

Vi mandati de quo in praefato Chirographo necnon praescripti artt. 121 et 124 n. 4 Const. Apost. *Pastor bonus*,

decrevit:

**Tribunal Appellationis apud Vicariatum Urbis a die 1 septembris 2019
supprimi;**

**A die 1 septembris 2019 Tribunal Rotae Romanae forum appellationis
constitui ad causas in altero gradu cognoscendas in Tribunali Ecclesiastico
Interdioecesano Vicariatus Urbis primae instantiae definitas;**

**A die 1 septembris 2019, donec aliter provideatur, Tribunal Rotae
Romanae constitui forum appellationis ad causas in altero gradu cognoscendas
in Tribunali ordinario dioecesis Romanae, in Tribunali dioecesano Reatino, in
Tribunalibus dioecesanis dioecesium Latii, in Tribunali Ordinariatus Militaris
Italiae et in Tribunali Praelaturae Personalis Sanctae Crucis et Operis Dei
iuxta cuiusque fori competentiam definitas.**

Causis die 1 septembris 2019 apud Tribunal Appellationis apud Vicariatum Urbis pendentibus applicandum est praescriptum art. 22 Normarum pro Tribunalibus interdioecesanis vel regionalibus aut interregionalibus ab hac Signatura Apostolica die 28 decembris 1970 latarum (AAS 63 [1971] 492), iuxta peculiarem rationem huic decreto adnexam.

Et notificetur omnibus quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 6 iunii 2019.

D. Card. Mamberti

Dominicus Card. MAMBERTI, *Praefectus*

+ Jos. Sciacca

+ Iosephus SCIACCA, *Secretarius*